

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Creacio siue creator a
cum fonte primo

Tria quedam maxime scienda
de creatura nobis oportuit intimari:
quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit.

Si ergo querimus quis fecerit,
Deus est; si per quid,
dixit: fiat, et facta sunt; si quare fecerit,
quia bona est.
Nec enim auctor est excellentior Deo,
nec ars efficacior Dei uerbo,
nec causa melior quam
ut bonum crearetur a Deo bono.
Hanc etiam causam condendi mundum Plato
iustissimam dicit
ut a Deo bono opera bona fierent.

Augustinus libro XI. de ciuitate Dei capitulo
XXI.

Quia uero
tria quaedam maxime scienda
de creatura nobis oportuit intimari,
quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit:
Dixit Deus, inquit: Fiat lux, et facta est lux.
Et uidit Deus lucem quia bona est.
Si ergo quaerimus, quis fecerit:
Deus est; si per quid fecerit:
Dixit: Fiat, et facta est; si quare fecerit:
Quia bona est.
Nec auctor est excellentior Deo,
nec ars efficacior Dei uerbo,
nec causa melior quam
ut bonum crearetur a Deo bono.
Hanc etiam Plato causam condendi mundi
iustissimam dicit,
ut a bono Deo bona opera fierent;
siue ista legerit,
siue ab his qui legerant forte cognouerit;
siue acerrimo ingenio inuisibilia Dei per ea,
quae facta sunt, intellecta conspexerit,
siue ab his qui ista conspexerant
et ipse didicerit.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 11.21
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.340, ll.42-54).